



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCLV. De aedificatione castris Luneburg, & duarum civitatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

inter eos accessit quidam & gladio per medium secuit eam, dicens: divisa est in duas partes, quilibet de ipsa sibi contingentem accipiat portionem. Sicque vastata terra illa, & occisis & captis pluribus quam sex milibus hominum, recesserunt. Hunc Exercitum quidam Polonus, dolens de tanta strage Christianorum secutus fuit simulans se amicum infidelium, & dum locus & tempus advenerat opportunum, David Castellanus de Gartha & Capitaneum hujus belli, qui infinita mala, ut præmissum est, intulit fidei & fidelibus in conspectu omnium interfecit.

- (a) Lotheco est Wladislaus Lothicus Rex Poloniae, qui Lothicus i. e. cubitalis, dictus est, ob staturæ brevitate, à Polonico vocabulo Lokiec, quod ulnam notat.
- (b) Chron. Germ. antiq. in 4. habet CC. pagos. Strykovski legit centum & sexaginta.
- (c) Aliam hic alii substituunt Historiam, qui hunc in modum se habet: Virgo Deo sacrata ad flagitium cogebatur à milite, ubi preces & lacrymæ consumptæ sunt frustra, illa promittit militi, modo se inviolatam relinqueret, non vulgare secretum se edituram, cum se habere diceret Ungventi genus, quo qui perunctus esset, vulneri non posset; ut vero fidem faceret, dubitanti collum suum unguento oblinat, & simul ad idem militem invitat. Hic miles constantiâ Virginis motus stringit eassem, & cum uno ictu caput amputasset, intellexit demum, quam probè Virgo caleret artem, non vitæ, sed Castitatis conservandæ. Habet hanc historiam Chron. Antiq. Germ. in forma ut vocant quarta, quod in Bibl. Elector. asservatur. Item Simon Grunov. *Tract. XI 13.* Chronicon Ordinis *sub Wernero de Orselen.* Schuz. & alii plurimi. Sed quoniam hic Dusburgius & ejus interpres Jerolchinus nihil hac de re habent, possumus suspicari per errorem huic tribui, quod alias Euphrasian Virginem fecisse memoriæ proditum est.

## CAP. CCCLV.

*De adificatione castri Luneburg, & duarum civitatum.*

**H**Oc tempore Fr. Theodoricus de Aldenburg Commendator de Balga, petita & obtenta Generalis Magistris licentiâ in terra Barthenfi circa confluentiam duorum fluviorum, scil. Gobrionis & Says adificavit castrum (b) Luneburg, trahens nomen suum à nomine campi, in quo est situm. Item idem Commendator civitatem circa Castrum Barthenstein. Et frater Lutherus filius illustris Ducis de Brunsvig Commendator Christburg civitatem circa Castrum (c) Ylienburg locaverunt.

- (a) Hic postea factus est Mag. Ord. Teut. Gener. Fuit autem filius Joannis III. Comitum Oldenburg. nato minimus.
- (b) Idem habet Henricus Hamelmannus *part. II. Chron. Oldenb. fol. 126.* hodie Luneburg. Henneb.
- (c) Excepta Dusburgiana Nobiliss. Dn. Gothofredi Zanclii habent Georgenburg. Idem verò putat legendum esse Ilienburg. i. e. Gilgenburg. Ex quorundam sententia est Lilenburg.